



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

6. De gravitate peccati ex pœnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

creaturas ad ultionem inimici, quin servire eas mihi fecerit, solem, astra, elementa, plantas, animalia, & ipsos Angelos.

MEDITATIO VI.

De gravitate peccati ex pœnis.

PUNCTUM I.

EX pœnis temporalibus, quæ infligi à DEO solent in bonis, tum externis, tum corporis, & in vita ipsa. Certè tria illa, fames, bellum, bestilentia, quorum data est optio Davidi, à peccatis venire solent.

PUNCTUM II.

Peccatum est malum tantò majus illis omnibus pœnis, ut simul omnes non sufficiant solvendo debito pro uno peccato mortali. Peccatū pœna majus.

I. Ratio; Quia istæ pœnæ privant hominem bono aliquo creato & finito: culpa autem bono infinito. Et sicut DEUS absolutè solus est bonus; ita illud absolutè est malum, quod privat DEO, reliqua secundùm quid mala. Quare bene Eleazarus olim respondit: *Premitti se male in infernum, quàm pravaricari legem DEI.* 2. Mal. c. 6. 23.

II. Ratio: Hinc fit etiam, quòd DEUS cum reliqua mala inferre valeat, nam non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit, (culpæ tamen auctor esse non potest. Item, cum Filius DEI ad omnia alia se demiserit mala, peccatum vel minimum non potuit admittere. Amos. 3. 6.

III.

III. III. Ratio. Quod mala cætera adhibentur à DEO in medicinam peccati, nemo autem sapiens medicus intulerit majus malum ad curandum minùs. Certè Christus ideo tot illa & tanta per-  
 passus est, ut medicinam faceret peccato.

## PUNCTUM. III.

Majus  
 æterna.

EX comparatione æternæ pœnæ. Nam ma-  
 la omnia præsentis vitæ nec computantur  
 in partem supplicii culpæ debiti, sed de integro  
 punitur peccator in inferno, quamvis summa in  
 hac vita fuerit passus. Id autem justè fit: nam,  
 cùm peccatum sit habendum infinitum à maje-  
 state infinita Dei offensi, debet quoque pœna  
 esse infinita. Talis est inferni pœna, eò quod  
 privat Deo. *Sed quia hæc amanti-  
 bus duntaxat* pœna est, non contemnentibus, ut ait Augustinus:  
*in Ps. 49.* ideo istis decreta est pœna sensus inferni, præ  
 qua præsentis videri umbra debent.

## PUNCTUM IV.

Peccati  
 pejus in-  
 ferno.

TAndem, vel ipsæ inferni pœnæ simul omnes  
 non æquant peccati malitiam, ut si optio  
 detur vel illas subeundi, vel peccatum admitten-  
 di, prius omnino præoptari debeat. Sed hæc col-  
 latio non est necessaria, quando dari ne-  
 quit casus, ubi alterutrum sit necessa-  
 riò eligendum.

